



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 263. Et erit novissimus error peior priore. v. 64.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

furari: alij diuites, & hi iam eum acceperunt & condierunt, uti voluerunt. Vide quomodo peccatores semel in reprobum sensum prolapsi, semper peius prolabantur.

Domine iesu, timent peccatores ne furto Corpus tuum auferatur è sepulchro, sed errant in inuio, & non in via. nam hoc ipso confitentur, tuum Corpus esse Sanctius quid, quam aliorum corpora. hæc enim filij, parentes, coniuges, amici, affines & consanguinei, efferunt, eijciunt, etiam magnis adhibitis impensis, ut illis careant: Iudæi autem isti fatentur tuum ab amicis tuis quæri, & è sepulchro efferri, rapi, aut saltem furto tolli. Magna profecto est hæc attestatio tuæ sanctitatis, magnum reliquiarum Sanctarum colendarum testimonium. Quando Iudæi impedire conantur ne à discipulis colantur.

§. 262. *Et dicant plebi: surrexit à mortuis, v. 64.*

Alius timor fatuus Iudæorum hic comparet: Timent enim, quod qui resurrectionem sui Magistrum non credunt, & conuicti credere detrectant: sint dicturi: quod resurrecterit: O iterum imo centies stulti: istane est sapientia huius sæculi? Apage. Nam si, uti timetis, isti furarentur tuum magistrum, & dicerent eum resurrectisse; & non probarent ipsum viuere aut ostenderent, quomodo possent dicere sine explosione eum viuere, & surrexisse, qui non viueret. Sed & quid prodesset ipsis dicere & irrideri. Friuola igitur sunt omnia quæ tentatis consilia, quia à Deo sunt, à quo solo procedit omne bonum.

O Domine Iesu verax & iuste in omnibus, da gratiam hanc mihi, ne superfluous timor & inanis animum meum occupet vnquam, aut sim sollicitus circa ea quæ ad rem & ad gloriam tuam non spectant, sed timeam te solum offendere, ne incurram in tam insanas hominum cogitationes.

§. 263. *Et erit novissimus error peior priore. v. 64.*

Verum dicitis, o Iudæorum Principes & in lege doctissimi, nouissimus error vester est continuo peior priore primum gloriam vestram dilexistis & quæsiuistis, & cum videretis Christum gloriosorem esse vobis eidem inuidistis; ex inuidia eum & cuncta eius opera fugillastis, & cum sapientiæ eius non possent resistere, nec vere neo fecte agendo, accusastis falso, & iniuste occidistis; occisi gloriam etiam sepelire voluistis: sed in his omnibus semper eum magis exaltastis, adeo ut peruenerit ad dextram virtutis Dei, & nomen eius propagatum sit, ad fines orbis terrarum. Quid ad hoc dicere potestis aliud, quam: Ergo errauimus & nouissimus error factus est priore peior?

Yy 3

Domine

Domine Iesu, ubi tu es ibi error non est. omnia enim in sapientia ordine & mensura facis quæ facis & fecisti: non ita Iudæi, non gentiles, non Mahometani, non denique Hæretici & Schismatici faciunt. Semper hierant corde: & nouissimus illorum error semper eis fit & nascitur priore peior. Paret hoc ex ipsismet Lutheranorum actis, patet ex Calvinistarum attemptatis. Benedictuses tu Domine, qui longe alio spiritu tuo Ecclesiam Catholicam regis, quam isti. Etsi enim persecutiones graues & insidias patitur tua Ecclesia sancta, illa tamen magis per has ipsas glorificatur, non infatuatur. Nuper cepit tentare ecclesiam falsa doctrina nomine Episcopi supposita, luctata est X. annos, cum falsis fratribus, gloriose vicit, duce Innocentio X. uti alias sub eius prædecessoribus, & potro sub eo qui nunc nos ducit Alexandro VII. vincet.

§. 264. *Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite & custodite sicut scitis. v. 65.*

Quasi diceret: Ecce manipulus militum præsto est, ite, facite; vel o Principes, militem stipendio ciuitatis si habetis bene est, ego Romanus non sum ita fatuus, uti vos: ego nolo ad id applicare militem Romanum, vt custodiant mortuum.

Domine Iesu Christe verum est verbum tuum quod peccatores commanducant linguas suas; ecce Iudæi & Pilatus rei mortis tuæ, ipsi commanducant se: se mutuo affligunt, se mutuo subsannant, sibi detrahunt, sibi inuicem nocent; mutuo gaudent de malis suis; sed non ita spiritus tuus operatur. iste facit, vt agnus accubet cum lupo, & ovis cum leone. Spiritus tuus efficit gaudium, pacem, caritatem, patientiam, prudentiam & dona, in quibus omnibus benedico te, quia istis ditas populum tuum quem elegisti, extra quem qui sunt, ecce isti commanducant se.

§. 265. *Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum. v. 66.*

Illi scilicet Iudæorum Principes accepta potestate à præside dicente: Ite, custodite cum applausu quasi certi de victoria super Christo excogitant alium modum quo Christum mortuum & in sepulchro clausum detinere valeant: quid ergo moluntur? muniunt sepulchrum custodibus circumcirca armatis, quasi Christi potentia vel non posset vel non auderet perfringere obices & ianuis clausis exire, spectantibus etiam & renitentibus militibus, & quidem cum gloria & triumpho. O cæci! Ite nunc & custodite quem antea reprobauistis & extra ciuitatem eiecistis. Frustra. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.

Amantissime Iesu malitiose increduli Principes laborant vt tuam resurrectionem impediunt, vnde quaque enim ponunt custodiam ad tuum sepulchrum,